TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE, DE VARIOLA.

5.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES FERRIAR,

BRITANNUS,

Soc. Reg. Med. Edin. Soc.

Ad diem 25. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXI.

Mr. Lister
from his friend
the author

TENTAMEN MEDICUM, INAUGURALE, DE VARIOLA.

PRÆFATIO.

STATUENTI in campo medico curſum peragere primum, res tantae, tamque diverſa occurrunt facie, ut ſemper in dubio inter eligendum aliquandiu haereat; et ſane a variis ſcriptoribus tam diverſe tractantur quam deliguntur themata. Alii ſcilicet tramite conſueto inambulant, felices ſeſe habentes, etſi famae ignoti, ſi criticorum objurgationes, irridentium futilia evadant;

evadant; laudis ſpe parum, opprobrii timore plus aequo affecti. Attamen alii mente praediti altiore, nihili aeſtumant incolumitatem, quam non comitatur plauſus bonas literas perſequentium; malevolentiam iſtam ſpernentes, ab hominibus animi effraenati manifeſtatam, dum ingenii perſcrutant primitias. Tales res novas detegere gaudent, dogmata vetera vel ſtabilire, aut verecundia debita rejicere, ſententias hodiernas libere perpendere, intra modum vim imaginatricem cohibentes, dum falſa arguant, aut ſophiſtica irrideant. Hos paſſibus haud aequis ſequi vellem, imperitiae conſcius etſi meae; quum enim detegenda eſt veritas, quiſquis latebras accedat, ei, quanquam conatus irritus ſit, plus laudis quam debetur dedecoris. Quum igitur, more almae hujus academiae, rem aliquam medicam exponere meum eſt, de variola nunc breviter dicturus ſum.

Si nunc diei egeret definitione verbum Variola, ea certe uterer cl. Culleni,

G.

G. XXVIII. ſyſtematis proprii noſologici propoſita, omnibus admodum probata, omnibus igitur qui huc mentem nuper adverterint uſurpata. Si cuique igitur, variolae notitia lateat, illuc tendere moneo. Obſervandum eſt ſolummodo, de variola naturali, i. e. arte non inducta, in paginis ſequentibus verba eſſe faciunda.

HISTORIA MORBI.

Incipit morbus, aliquot dies poſt contagium exceptum, in adultis, rigore, deinde calore, capitis atque tergi dolore, vehementi in ſudorem proclivitate, comate, vomitu, epigaſtrii etiamque compreſſi dolore. Haec per biduum ſaeviunt; inde paroxyſmi ſaepius adveniunt epileptici infantibus, quos interdum gravius, interdum mitius afficiunt. Finem tertii diei verſus, papulae, levis ruboris, acicularum capitum inſtar, ſeſe oſtendunt. Initio, hae ſuperiorem corporis

ris partem ſolam, ſed, progrediente morbo, artus quoque invadunt; atque, diem circiter quintum, peracta eruptione, febris recedit. Leniſſima tamen in variola, prima eruptione omnino decedit febris. Papularum areolae, antea pallidae, nunc rubeſcunt, ipſaque papula plenior, fluidoque oppleta, evadit. Sic ad octavum res ſe habent uſque diem. Dehinc progreditur ſuppuratio puſtularum, quae ad diem undecimum ſponte rumpuntur, atque mox cruſtoſae apparent; ac intra tres quatuorve dies decidunt.

Haec variolae ſpecies benignior, quae Diſcreta audit. In confluente, omnia acceſſus ſymptomata graviora ſunt, atque diſtinguitur a ſpecie priore, tum cohaeſione puſtularum inſigni, tum febris pertinacia, quae aut nequaquam cedit eruptioni, aut remiſſionem tantum patitur. Dicit etiam Sydenhamus, puſtulas interdum non ante diem quartum erumpere, nempe ob aggreſſum doloris cujuſdam vehementis, vel vo-

mitus.

mitus. Puſtulae confluentes ad diem octavum laminae albidae exhibent ſpeciem, tumoremque vultus inſignem efficiunt. In adultis ptyaliſmus, in infantibus diarrhoea, inſuper additur. Notavit Sydenhamus, puſtulas extremorum, quae multo ſerius ſuppurantur, illis faciei et corporis largiores eſſe; atque plurimis in exemplis diſtinctae eminent. Circiter diem undecimum, puſtulae diſrumpuntur et corrugant. Saepius antehac oritur febris ſecundaria, quae plurimis lethalis evadit, atque, ſecundum Hoffmannum, die nono vel undecimo necat. Hoc tempore cedit pytaliſmus vel diarrhoea, et curſu debito morbi, manus tument. Tunc color puſtularum, adhuc albidus, in pullum tranſit, brevique fit deſquamatio, quae diem circiter quindecimum terminatur. Poſt confluentes, foveolae plerumque manent; interdum cicatrices latae, foediſſimae.

Fluidorum ſummam putredinem ſaepius variolam comitari, monſtrant petechiae cum

puſtulis

puſtulis commixtae; monſtrant haemorrhagiae a Sydenhamo deſcriptae; denique demortuorum ex variola ſectio, quibus ſanguis nullibi coagulatus reperitur *.

Huic adjungatur celeb. Hoffmanni obſervatio, in verbis propriis: 'Accidit haud 'raro, ut, exſiccatis jam quae effloruerant 'puſtulis, ultimis diebus, novae et mino'res compareant aliae. Si recedant, fieri 'poſſunt praeter ſpem funeſtae.' Concluſio hujus morbi fatalis fit convulſionibus, interdum comate.

Quaeſtio fuit, an unquam viſcerum abdominalium epidermidi porrigatur eruptio. Hoc ſemel me vidiſſe credo, in pueri (ex variola, ut viſum, defuncti) inteſtinis; quae, per totam ſuperficiem internam, puſtulis aperte maturis ſcatuere. Attamen, in facie, puſtulae jam ad deſquamationem promptae exſtitere. Nihil de hujus morbi hiſtoria mihi notum, quum, hyeme proxime

* Hoffman. de feb. variol.

me elapſa, inter cadavera ad ſecandum promiſcue collecta, allatum fuit, in uſum diſcipulorum ill. Doctoris Hunter.

Variola interdum praebet valetudinem antea debilibus, et, e contrario, antea ſani, hac peracta, in varios illabuntur morbos, uti typhum, tabem, vel amauroſin; qui omnes torporem indicant. Hac de re audi Hoffmannum: 'Quibuſdam, poſt exſicca-'tionem, febris manet lenta, et in extre-'mis, praeſertim articulis, tumores oriun-'tur, et ex his fiunt foeda, exedenda, et 'oſſibus cariem inducentia, ulcera, difficil-'lime ſanatu, et poſtremo mortem inferen-'tia.'

DIAGNOSIS.

Ex ſymptomatibus jam deſcriptis, facile fieri poteſt diagnoſis variolae. Initio, a rubeola diſtinguitur, abſentia coryzae, oculorumque affectuum; et a pleriſque aliis ex-

anthematibus, tardiore eruptione, atque forma papularum. Obſervavit Cl. Sydenhamus, variolam confluentem interdum ad eruptionem ſpeciem exhibere eryſipelatis; ab hac autem facile ex hiſtoria dignoſci; dolore ſc. epigaſtrii, atque defectu delirii; tum quoque tempore eruptionis. Dolore recenſito, atque comate, nec non paroxyſmis epilepticis, juncta praeſertim epidemiae notitia, a febribus propriis certo diſtinguatur variola.

C A U S Æ.

De cauſis non omnino diſputandum; quippe quae, a viro ſpeciali ad corpus admoto, uti inter omnes convenit, pendent. Hujus natura latet; vis autem eſt notiſſima.

PRO-

PROGNOSIS.

Haecce febris ſtatum, indeque eruptionis faciem, reſpicit; ſcilicet, quantum mitiora ſint ſymptomata morbi advenientis, (quibus parca, vel nulla epilepſia annumeranda), quantum ſerius apparent papulae, et quo magis diſcretae, tantum minus, contrariis autem locum habentibus, plus periculi. Si, progrediente morbo, ante diem undecimum confluentis, deſit ptyaliſmus, certiſſime peribit aegrotus; itidemque, ſi tunc temporis non ſuccedat tumefactio extremorum.

Diſcretae etiam tumor aliquis faciei neceſſarius videtur; et ſi ad diem octavum vultus lentus appareat, et puſtularum interſtitia pallida evadant, (quod ſaepius praegreſſo multo ſudore accidit), mortem adſtare ſuſpicetur medicus.

RATIO

RATIO SYMPTOMATUM.

Eruptionis modus vi febris primariae respondet: Minus enim credibile videtur, aut contagii naturam, aut molem fluidorum, in aegrotis variis assimilatam, inter sese differre. A spasmo vasorum extremorum aegre subacto pendet, me judice, eruptio; quum, spasmo deficiente, neque propria forma exstare poterit febris, nec phlegmonae, quales revera sunt papulae variolosae. Spasmi igitur pertinaciae, vel cordis atque arteriarum impetui, omnes variolae differentias tribuere vellem. Nam, ex priore, febris durationem saepius pendere, ab ill. Culleni sectionibus quibusdam facile patebit *. Principiis illic stabilitis confidens, caloris externi actionem nocere censeo, diathesin creando phlogisticam. Hinc regiminis vetusti errores: Hinc Stygia impleta ora. Ab cordis enim et arteriarum actione immodica,

* First Lines, par. LXII. LXIII.

immodica, innumera oriuntur mala, ſive calore externo augetur, ſive ſpaſmo forti ſuſtentatur. Delirium adfert; eruptionem dat eryſipelatoſam; haemorrhagias e variis partibus elicit; et fluidorum putredinem movet, ſignis praedictis nimis facile notandam. At, frigoris debito admoto gradu, atque adhibita methodo antiphlogiſtica, in variola praeſertim quae inſita fuit, adeo moderatur febris primaria, ut ſaepius vix aliquid afferat moleſti; ibi quoque pauciſſimae erumpunt papulae. E contra, febris quae confluentem praecedit, ſaeviſſima eſt, morbumque periculoſum adeſſe teſtatur. Huc, attamen, aliquid confert habitus aegroti, ſaltem quoad vim augendam vaſorum, vel ad putredinem promovendam.

Inter febrem primariam, ut et per morbum totum, ex modo ſanos inficiendi, multum exhalari compertum habemus. * Quidam enim inſitionem inſtituit ope humoris

* Baker's Inquiry into a new method of inoculation, p. 9.

ris brachio adempti, ante eruptionem factam, etiamque intra diem ab insitione quartum.

In variola confluenti, ubi pustulae, per majorem corporis partem quasi operculum efficiunt cutis, extremorum tumores e materia perspirabili retenta constare videntur; quoniam, si subito decrescant, (resorpta dicam materia), actum est de aegroto.

METHODUS MEDENDI.

In medendo, nulla est opus indicatione; quia morbus cursum peragit legitimum, medico non obstante. Licet autem virus extinguere, eoque modo morbum prorsus tollere, ignoremus; justo tamen regimine, medicamentisque rite adhibitis, symptomata multa submoveri, et omnia levari possunt.

Initio morbi, febris primariae aggredientis vehementiam praecavere, accessam temperare,

perare, eſt medici; alia, atque minora, ſub nullis ſignis inſtruenda ſunt. Febris igitur adveniens frigoris plena adhibitione minuenda eſt: Huic diluentia vel refrigerantia jungere oportet; atque emitici neceſſitatem certe indicant affectiones ventriculi.

Saepe etiam in uſu eſt pediluvium ad pueros; de quo, attamen, multum dubitant medici, regiminis reliquae rationi adverſum eſſe putantes. Hoc in tyrocinio ſtudiorum ſaepius adhibitum vidi, ſaepe ipſe praecepi, ſemper ſine moleſtia, interdum, ut viſum, cum fructu.

Sin autem vel haec ſpem fefellerint, vel medicus non accerſitus fuerit donec ſaevire inceperat febris, et jam minitari, praeſertim ſi in dubio ponatur an variola ſit, an alius morbus, certiſſime ſanguinis miſſione uti convenit. Etſi tamen venaeſectio non ſolum non eruptionem impediat, ſed etiam promoveat, motus vaſorum enormes

mes compescendo, haud impune feretur repetitio; atque cito invasura debilitas, in confluente saltem, ubi maxime saevit febris primaria, medicum a largis evacuationibus absterreat. Observavit enim Cl. Sydenhamus, pessimam variolam ortam fuisse in puella, quae rheumatismum acutum propediem antea superaverat ope evacuantium.

Alvus diligenter movenda est catharticis, clysteribus saltem quotidie adhibitis. Æger vel sub pleno Jove, vel cubiculo amplo, amoeno, maneat; noctu stragulis paucioribus quam consuetis utatur. Sit diaeta tenuis, potus subfrigidus, lenis, vel cum portione acidi cujusquam commixtus.

Mature adveniens epilepsia, multum saevire solet, atque, mortem ipsam minitans, notationem deposcit assiduam. Huic venaesectione, sed praesertim anodynis libere adhibitis, occurrendum.

Peracta

Peracta eruptione, si febris vel ex aliqua parte vel ex toto cesserit, si papulae sint rarae atque discretae, et nulla molestia urgeat, frigori, atque naturae virium tutelae, prorsus committatur aegrotus. Sin autem alvus sit nimis adstricta, semper solvere est opus.

Variola tamen confluens, jam descripta, multum intentionis simulac judicii exigit; morbus horrendus, quippe vel vitam vel pulchritudinem nimis certo deleturus. Quod ad hanc speciem, in adultis, ad febrem continuatam, vel certe minime levatam, ad cutis dolorem ac inflammationem, ad fluidorum putredinem, et febrem secundariam, spectare oportet. Febris, ut in aliis febribus, venaesectione, si opus sit, et antimonii praeparationibus, quae saepius et emetica et cathartica fiunt, tractetur. Hanc methodum non est cur fusius explicarem, quum ad inceptum meum haud attinere videtur.

 Cutis

Cutis dolor, perpetuo torquens, atque miserum ab omni requie impediens, febri secundariae denuo ortum maxime praebens, anodynis optime levatur. Primus ill. Sydenhamus opii usum instituit, atque maxime laudavit; cujus sententiam sequentes medici confirmarunt. Finita igitur eruptione, adhibeatur opium, bis singulis diebus, usque ad morbi metam. Mirum equidem videtur, papularum puncturam, atque hanc iteratam, medicos non saepius instituisse; magnam enim abripit irritationem, et multum confert ad febrem secundariam praeveniendam.

Fluidorum putredo, sedula ventilatione, enixa munditia, alvoque nunquam non soluta, praevenitur. Plena tamen curatio putredinis jam accessae, a tonicis, stimulis, atque antisepticis petenda; a cortice Peruviano, scilicet, vino, atque acidis.

Modus febrem secundariam tractandi, a natura ipsius diatheseos phlogisticae, vel putredinis

putredinis praevalentis, ducatur oportet. Hujufce acceffio optime mitigatur cutis dolorem molliendo, atque debiti regiminis affidua adhibitione.

Si finem verfus fputationis, faliva, jam craffa et difficilis fcreatu, deglutitionem impediat, vel ftrangulationem minetur, gargarifmus proponatur. Dixit Sydenhamus, emeticum, rebus ita fefe habentibus, multum prodeffe.

Quum retrocedit eruptio, vel fubito detument extrema, admoveantur plantis pedum vel finapifmi, vel veficantia.

Quoad catharticorum ufum, deceffo morbo, nil certum accepimus: Multae morbi fequelae figna debilitatis atque torporis edunt; haud igitur purgatione depellendae. Haecce praxis theoria fola, ut vifum, innititur; namque cathartica obveniendo abfceffus folum profunt, et hoc quidem leviffime efficiunt. Denique, morbi fequelas

pro

pro natura ſingularum tractare, ac ſi nullum praeceſſerit malum, ſed cavere evacuationem, debet.

Etſi operis ſummum pertigiſſe videar, reſtat àutem quaerere, cur neminem niſi ſemel variola invadat. Haec res, ut mihi videtur, eſt et magni momenti, et adhuc parum explorata. Mihi, hoc opus aggredienti, temeritatem vel ineptiam veriſimile obferent plerique: Theoriam hancce ante eorum pedes projicio; et hoc ſolum rogo, ne quiſquam me judicet antequam perlegat. Praemittendum attamen, variolam bis in uno homine obortam fuiſſe, uti quidam teſtantur autores *; phaenomenon igitur non pro lege immutabili, ſed pro conditione generali, habeatur.

Vitae proceſſus, nervorum ſtatu, magis quam partium incremento, diſtinguitur. Quod

* Home's Medical Facts and Experiments, p. 94: Henſler de morb. variol. tent. de variol. ſecund.

Quod ad molem, quidem, infans et adultus inter ſeſe differunt; multo magis autem quod ad nervorum ſyſtemata. Hinc, ingeſta in ventriculum acida facta, quae adulto anxietatem et ructum tantum inferrent, infantem convulſione epileptica afficerent. Hinc, a dentitione tanta ducuntur mala, dum odontalgia, quamvis graviſſima, vitam nunquam minatur. In pueris, abdominis viſcera mire irritabilia ſunt, ut in vomendi (in adultis plurimis graviſſimi) actione, facile citata atque peracta; ut et in diarrhoeis, ſaepe et ſine ulla fere moleſtia iteratis, admota levi cauſa, atque excretione frequenti ſtercoris et lotii, pene abſque conamine, cernere eſt. Et ſane tanta mobilitas ad pueri incolumitatem neceſſaria videtur. Ope enim perpetuo egens aliena, vel ad noxia abigenda, aut neceſſaria paranda, oportuit ad omnem tactum animum attentum advertere, ut ex querelis, riſibuſve,

eum

eum dolere aut gaudere adverterent custodes.

Cutis, hoc temporis, mollis, delicata, sensu praedita exquisito, adeo ut, si in hoc statu per totam vitam permanserit, genus humanum doloribus torqueret gravissimis. Quam miser fuerit iste, ab accuratissimo Gooch memoratus, cui prurigo vix ferenda inducta fuit per totam corporis superficiem, a solis radiis, omnibus praeterea bonum afferentibus.

Infantum epilepsia, antequam morbos pueriles dictos subierint, tam dira atque frequens, his superatis, fere semper decedit, et ex omni functione irritabilitatis decrementum patet. Inter omnes quidem convenit, certa aetate mobilitatem subito atque maxime imminui, nunquam tamen nisi praegressis morbis accidat. His igitur aliquantum tribui oportet, quum nexu loci atque temporis solum deprehendimus causam atque effectum. Nec hi effectus morbidi

morbidi habendi; corpus enim vitae officiis aptius redditur.

In variola torporem valere, docent ejus ſequelae, in hiſtoria jam enumeratae; atque talem cauſam, reliquis junctam poſtea dicendis, ſubito mobilitatem imminuere, pauci negabunt. Ejus enim effectus, aliter haud permanens, operatione ſequente aliorum conſervatur.

Impreſſionibus extrinſecus ſemper ſumus obnoxii, quae, ſi numero immodicae, mentem opprimunt; ſi paucitate errant, animam, quaſi ſomnolentam, vix emovere poſſunt. Harum plurimae inveniuntur ſedantes, Liberi praeſertim ritus, hique connubii aut Veneris abnormis, quorum unum vel alterum fere omnes ſummo perſequuntur niſu. Cibo utimur ſtimulanti, proceſſus inde concoquens ſomni cupidinem infert; vis ſedantis planum documentum. Cogitatio multa, ſive de philoſophia vel negotio, maxime ſedare reperitur, atque nugae

gae ſplendidae, quae a cogitando animum omnino revocant, plus ipſa ſpeculatione mentem laceſſunt. Sic, ſive contemplatur aliquis, ſive mercatur, ſive vitae delicias ſolum perſequitur, omnia mentem, indeque corpus, ſeu vice verſa, deprimere certant. Nequaquam affirmo, omne impreſſum ſtatim ſedare, omne vehemens tamen hoc citius ſeriuſve facere facile credo, quum motus validos vel animi vel corporis ciet.

Inflammatio quidem omnis, a contagio ſpecifico praeſertim, partis mobilitatem maxime imminuit. Ita, qui gonorrhoea gravi laboravere, etiam poſt fluxus, omniumque ſymptomatum deceſſum, urethrae fiſtulam, atque balanum, ſenſu conſueto multum privari percipiunt. Sin hoc efficeret canalis unicae affectio digitos paucos extenſa, quid faceret totae cutis inflammatio, a ſyſtematis ſtatu morbido orta ?

Hanc etiam legem pertulit natura generi humano, quod impreſſiones validae debilius

us renovantur; atque conſtat, aliquos morbos mitiores eſſe ſecundo aggreſſu: Hujuſmodi ſunt, gonorrhoea, uti omnes confitentur, et quartana, ſecundum cl. Sydenhamum *. Multi, fateor, ſunt morbi ad recurſum proni; ſed hi omnes irritabilitatem inducunt, quales haemorrhagiae; vel cauſae ſunt permanentes, ſaepiuſve applicatae, aut habitu continuantur, quibus itaque haec lex non porrigitur †.

Pueri eruptionibus caducis, antequam variolam patiantur, ſubinde affliguntur. Iſti cutis affectus plerumque a ventriculo ſe male habente pendent; at, in infantibus hanc perpeſſis, eruptio quaevis, nec levi movetur cauſa, nec mota facile abigitur. Puſtularum varioloſarum relictae foveolae, cicatricum inſtar, formam per totam vitam, et per aliquod tempus, albedinem, quaſi vitreatam ſervant, cutem iſthic aliquo mutari

 monſtrantes.

* De Feb. Intermitt. ann. 1661, 1662, &c.

† Facultas adſueſcendi, ill. Gaubii (Pathol.) § 644. ad quam talia phaenomena relegavit, nihil aliud quam irritabilitas imminuta eſſe videtur.

monſtrantes. Et ſane color cutis, poſt puſtularum deceſſionem, mutationem notat inſignem *. Denique, quum haecce foveolae, durante vita, maneant, mutationem ſubſitam permanere, fas eſt ut deducam. Sed, utrum ſuper vaſa extrema cicatriculae inducuntur, an mobilitate quoad ſtimulum ſpecificum privantur, non meum equidem eſt judicare: Mihi ſufficiet perceptio facti. Cutis jam mutata nequit amplius eadem affici cauſa, cui obſiſtat, etſi nullis foveolis foedata.

Alii morbi quidem, qui pro tempore tantum aliquid corporis mutant, ſaepe atque in aſſuefactis facile renovantur; quoſdam tamen eſſe morbos oportet, a quibus mutatio inducta permanens, quamvis non lethalis ſit. Haec autem permutatio fluidis accidere nequit, quum ipſa ſubinde mutantur; ſolidis ſolis induci poteſt.

Non tam univerſa autem eſt cutis affectio, quin aliquibus locis viri novae adhibitioni

* Cullen's Firſt Lines, vol. ii. p. 38.

tioni cedat. Nutrices enim, matresve, quae prima juventute variola correptae fuere, dum alumnum variolosum pertractant, brachiisque gerunt, super partes infanti applicatas, pustulas, variolosis similes, exsurgere vident. Huic autem quasi insitioni, aliae causae jam memoratae valde resistunt, et plerumque morbum depellunt.

Ubi autem systema torpidum dixi, non ita ut morbide intelligatur, at solum ita imminui mobilitatem extremam, ut vegetiora deveniant solida. Et, quamvis unica quaevis phaenomeni causarum, jam adscriptarum, omnino impar videbitur ad explicationem, junctio omnium haud tam inefficax, puto, invenietur.

Nam generis nervosi sensus hebetior, senectutem saepius praeoccupans, atque tota vitae hodiernae consuetudine adjuvatus; huic annuens morbi sequela, torpor, integratio cujusvis impressionis lenior, cutis demum

mum vaſorum permutatio, huc colligenda ſunt.

Senes, interdum, hoc morbo in juventute devitato, denique contagium excipiunt, et in variolam incidunt; atque hoc noſtram theoriam refellere creditur. Hi tamen praediſpoſiti ſunt, quatenus nunquam variolam ſubierunt; contra cujus aggreſſum nullam tutelam praebet ſenectus, praeter torporem, qui ſolus nequaquam morbum depellere valet. Atque ſi contagium, juveni adhibitum, non intulerit morbum, haud mirum. Nam, in ordine rerum, facile intelligimus, quod cauſa praediſponens, atque occaſionalis, nunquam ſimul applicatae fuere. Notum eſt, praeterea, quod in infantibus quibuſdam, perpaucis tamen, non apparebit morbus, poſt ſecundam etiam inſitionem; praeterito autem brevi tempore, ſi iterum fiat inſitio, febricitat infans.

Qui variolam bis acceperint pauciſſimi ſunt; de quibus nihil ſatis plenum cognovi, ut phaenomeni explicationem aggrederer.

Conſtat

Conſtat autem hos omnes juvenes fuiſſe, adhuc igitur, quamvis minus quam antea, mobiles; atque exceptiones ab inſtituto generali, hic quoque, ut in plurimis aliis naturae phaenomenis, patent. Neque has exceptiones, magis quam hominem natum ſine cerebro, corde, vel ore, mirari oportet.

Denique, ſi caſibus plurimis, et communi ordini morbi, conveniat haecce doctrina, ad ſingula, ab idioſyncraſia, vel rerum fortuitate, nata, parum ſpectandum.

Sententias peritiorum, in plurimis theoriae hujuſce locis, me non ſecutum fuiſſe, et verum et mihi rectum conſtat. Ea enim diſſenſio vix vitanda eſt, ſi unquam ratiocinemur, ſi libere, non omnino. De his quidem multa dicere vellem; at quae publico nondum tradidiſſet autor, neminis eſt ſcriptis contradicere. Nimis facile enim poteſt aliquis, abſque fraudis conſilio, alterius mentem, ſemel elocutam, permutare, verbo vel ſingulari variando. Quidquid

autem

autem in publicum ediderit autor, libere decet omnes tractare; ipsa enim verba cuique patent.

Quae, brevi jam sermone, proposui, mihi pro veris habita, non ex omni parte certa esse, haud inficias eo; nam hicce nodus, sat scio, difficillimus est solutu. Aliqua tamen me movisse, huc nondum applicata, quanquam alias notissima, putarem; quae nec repente, nec audacter, sed post multam cogitationem, solicitus hic profero. Ast huc me tulit animus, de theseos themate dubitantem, etsi pericula innovandi noscentem, reique ipsius incertitudinem. Mansuetudini igitur vestrae, magis quam propriis viribus confisus, Praeceptores optimi, haec obferre statui, atque pleno die illustrati aevi veritatem per avia assequi conatus. Si hanc nondum tetigisse videar, plorare est meum, haud tamen spero aliorum erit culpare. Omnibus ratiociniis peractis, demum fortasse consedere, et sententiae dare manus Socraticae oportet; quod nihil compertum habemus, nisi quod nihil scimus.

FINIS.